

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XIV. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Matth. 5. v. 16. Erut bona arbor semper fructus bonos facit, Matth. 7. v. 17. sic & nos fructus fidei producamus, ut sunt: caritas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, Gal. 5. v. 22. quin ut granum sinapis, minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita, ut vo-

lucres cœli vetiant, & habitent in ramis ejus, Matth. 13. v. 32. Ita & nos in fide crescimus, ut abundemus magis, 1. Theff. 4. v. 10. ita finem fidei nostræ reportabimus, salutem animarum, 1. Petr. 1. v. 9.

Hanc concedat nobis ex gratiâ Deus cœlestis Pater, per JESUM Christum in Spiritu sancto! Amen.

## DOMINICA XIV. POST TRINIT.

*Evangelium Luc. 17. v. 11. -- 19.*

### EXORDIUM.

**P**Ræcepit olim Deus Israelitis decimas dare & de frugibus, & de pomis arborum, ut & de bobus & ovibus, ad sustentationem Sacerdotum & Levitarum, quia illi hæreditatem non habebant, Levit. 27. v. 30.

Vetus hæc consuetudo fuit, quæ jam tempore Abrahami viguit, qui Melchisedec, Regi Salem, qui & Sacerdos Dei altissimi erat, decimas dedit ex omnibus, Gen. 14. v. 20.

Quod verò tum voluntariè factum, id postea Deus Israelitis præcepit, ut gratitudinem eorundem probaret, utrum divitem ejus benedictionem agnoscere, & ex illa micas quasi, decimam nempe partem ad cultum suum haud invitè elargituri essent. Hoc si præstabant, eò copiosius illi benedicebantur, Ex quo cœperunt offerri primitiæ in domo Domini: comedimus & saturati sumus, & remanserunt plurima, ait Azarias, Sacerdos primus, de stirpe Sadoc, 2. Paral. 31. v. 10. Si verò non faciebant, sed

varias fraudes machinabantur, retinentes optimum, pessimum autem Sacerdoti offerebant, gravissima pœna afficiebantur. Nam maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & tamen votum faciens, immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum tremendum est in gentibus, Mal 1. v. ult.

In prælecta Pericope audimus, quod Servator noster etiam decimas accipiat ex decem leprosis, quos omnes mundatos sanitati restituerat: sed unus saltem grato animo revertitur, dans gloriam Deo, cujus gratia à molestâ lepræ contagio liberatus erat. Hæc merces persolvitur Domino! & quamvis quærit: Novem autem ubi: nemo tamen accedit, sed omnes declinaverunt simul, inutiles facti sunt, Psal. 14. v. 3. sicut adhuc hodiè hypocritarum plures, quam verè credentium in Ecclesia Dei reperiuntur, juxta illud: Multi vocati, pauci verò electi, Matth. 22. v. 14.

ggg

Nos

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

I. Triplicem Querelem.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegetis.

Samaritani aliàs exiguâ laude commendantur in sacris literis, quia leves & inconstantes erant, modò cum Judæis, modò cum Ethnicis facientes, prout fortuna alterutri parti erat favorabilis, unde Siracides: Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens quam oderim; qui sedent in monte Scir, & Philistiim, & stultus populus, qui habitat in Sichimis, Sir. 50. v. 28. Attamen aliqui ex illis fuerunt, qui Judæis palmam præripuerunt, & hodierno die nobis Christianis ad imitationem proponuntur. Sicut ante octiduum de quodam audivimus, qui despoliati & usque ad necem vulnerati viatoris tam fidelem curam habuerit, ut vulnera ejusdem vino eluerit, deindè oleo lenierit, & obligaverit: Imò imposuit illum in jumentum suum, duxit in diversorium & curam ejus gessit, hospiti quoque persoluto pretio, mandavit, ut curam ejus gereret. Ubi ex adverso Sacerdos & Levita fraternæ caritatis obliti præterierunt, eumque sine auxilio cum vitæ periculo reliquerunt. Ex hâc causa Christus illum Scribæ seipsum justificanti, & cuilibet nostrum hodierno adhuc die, hisce verbis commendat: Vade, & tu fac similiter.

Jam verò Samaritanus ex decem leprosis se offert, qui solus à leprâ mundatus re-

greditur, & Christo gratias agit pro curatione suâ: reliqui novem verò, qui sine dubio è Judæis fuerunt, ingrati abeunt, nec ad persolvendas gratias ad Christum revertuntur. Quod iterum egregium exemplum est, quod imitari nobis convenit, juxta illud: Invoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me, Psal. 50. v. 15.

Querele respicit

I. *Lepra morbum*, qui adeò familiaris & frequens Judæis fuit, ut hîc ad unum Samariæ vicum decem leprosi unâ vice Christo occurrant.

Hæc particula est de stipendio peccati, & prænuncius mortis, quæ per peccata in mundum introducta est. Quia enim peccatum adeò nos invasit & permeavit, ut nihil boni in nobis habitet, Rom. 7. v. 19. sanguis ille impurus & venenatus ex omnibus venis & membris protuberat ut quotidie moriamur, 1. Cor. 15. v. 32. & præter eâ multis iisque gravissimis afflictionibus subiecti simus, in hâc miseriarum valle. Castigabit te malitia tua, & aversio tua increpabit te, Jer. 2. v. 19.

Peccatum causa est, ut malitia sit vita hominis super terram, Job. 7. v. 1. & jugo gravi adstrictus sit homo, à die exitus de ventre matris sui, usque in diem sepultura, Sir. 40. v. 1.

Peccatum hunc leprâ inficit, ut Naëman, 2. Reg. 5. v. 1. illum Paralyti, ut servum Centurionis Capernaitici, Matth. 8. v. 6. istum cæcum reddidit, ut Tobiam, Tob. 2. v. 11. quartum ulceribus scatentem, ut Jobum, c. 2. v. 7. quintum claudum, ut illum ad portam templi, Act. 3. v. 2.

Pec-

Peccatum efficit, ut maledicti simus in civitate, & in agro, maledicti ingredienti & maledicti egredientes, Deut. 28. v. 16. efficit, ut in vanum laboremus, quamvis ante lucem surgamus, & postquam sederimus, manducemus panem doloris, Psal. 127. v. 3. facit, ut in penuria simus, Mal. 3. v. 9. expectemus multum, & parum in domum afferamus, Hagg. 1. v. 8.

Quod si itaque lepram & commercia leproforum fugis, potius quasi à facie colubri fuge peccata, nam si accesseris ad illa, mordebunt te, Sir. 21. v. 2.

II. *Animum ingratum.* Exemplum habemus in decem leprosis, quos Christus omnes curaverat, at unus saltem revertitur, qui gratum suum animum contestatur, reliqui omnes in fœdum ingratitude vitium prolabantur, unde non abs re id Christus eis exprobrat, dicens: Nonne decem mundati sunt? & novem ubi sunt?

Hodiè non melius se res habet. Ah quanta copia ingratorum est in hâc fece mundi! Optimus Servator noster gratiæ manum longissimè extendit, hîc illic decem quoad animam curans, sermone suo salvifico, qui vera herba & malagma est, quod sanat omnia, Sap. 16. v. 12. Quod si unus circò Deo gratias agit, novem ubi sunt: Paucissimi sanè beneficia Dei, quibus animæ eorum liberantur, agnoscunt, ut non abs re verus Christianus querelam ingeminet: Væ mihi: prævaricantes prævaricati sunt, & prævaricatione transgressorum prævaricati sunt, Esa. 24. v. 16.

Optimus Servator noster hoc anno inter nos quoque hîc decem & ibi decem quoad corpus sanavit, ut è periculosis morbis illi emerterint: quod si unus, qui

quæcunque vovit, reddit salutem Domini, Jon. 2. v. 10. Novem ubi sunt? Paucos Samaritanos invenies. Plurimi in peccatis pergunt, & hoc ipso efficiunt, ut deterius quid ipsis contingat, Joh. 5. v. 14.

Optimus Servator aliquoties nobis fertiles annos successive largitus est, ut hîc decem & ibi decem, imò tota regio undique affluenter cibata sit. Quod si unus occurrit, qui ei gratias persolvit, Novem ubi sunt? Plurimi impiè agnoscere nolunt, quod Dominus det frumentum, & vinum & oleum, Ol. 2. v. 8. & reddat nobis annos, quos locustæ & bruchi, maximè verò milites comederunt, Joel. 2. v. 25.

Est hoc

1. *Vitium Diabolicum.* Non enim in veritate stetit Diabolus, Joh. 8. v. 44. sed dereliquit domicilium suum, Jud. v. 6. similis esse voluit Deo Altissimo, Esa. 14. v. 13. ideo Deus illum præcipitavit, ut ex Angelo lucis Cacodæmon factus, & nunc catenis noctis detractus in carcerem cruciandus in iudicium referretur, 2. Petr. 2. v. 4.

Sicut igitur Cyprianus ait: *Perditus, omnes cupit perditos*: ita etiam velut *μυροτόχων* variis machinationibus utitur, ut homines in exitium præcipitet. Sicuti statim post lapsum Protoplastos nostros ingratitude vitio fœdavit, ut non contenti esse voluerint illâ conditione, in quâ DEUS eosdem collocarat, propterea æternæ morti mancipati fuissent, nisi Christus, benedictum illud mulieris semper eorum extraxisset, Genes. 3. vers. 15. at tamen nondum quiescit, sed hoc vitio maximè nobis incommodat, dum intellectum nostrum excæcat, ut sicut equi & muli intelligere nolimus, quis ille

lit, qui omnibus diebus & momentis nos beneficiis suis ornat, Psal. 32. v. 10. & hoc Deum non parùm affligit, quando amorem & beneficentiam suam male locatam cernit, hinc exclamat: Audite cæli, & auribus percipe terra: Filios enutrivisti & exaltavi: ipsi autem spreverunt me, Esa. 1. v. 2. seqq.

2. *Peccatum inhumanum.* Ipsa enim natura docet nos, ut beneficientibus nobis vicissim beneficiamus. Hinc Seneca: *Officia etiam fera sentiunt, nec ullum tam immansuetum est animal, quod non cura sui mitiget, & in amorem sui vertat.* Exemplum refert Gellius de leone. Canes quoque adeò fideles sunt, ut pro Dominorum salute vitam profundant. Quod si vero hoc bruta animalia faciunt, quantò magis nos ergà Deum gratos præbeamus, qui nos ab utero matris conservavit; & plurima in nos confert beneficia, Sir. 50. v. 24.

3. *Vitium nocentissimum,* quod Deus omni ævo gravissimè punivit. Propter ingratitudinem Protoplasti nostri Paradiso exterminati sunt, Genes. 3. v. 24. Propter ingratitudinem Sòdoma & Gomorrha igne & sulphurè cælitus delapso conflagraverunt, Gen. 19. v. 24. quæ regio autè erat, ut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus universa irrigabatur, Gen. 13. v. 10. Propter ingratitudinem Israelitæ in deserto prostrati sunt, quia panem cælestem despiciabant, & alia plurima beneficia, quæ exhibuit illis Deus, agnoscere volebant, Num. 11. seqq. Propter ingratitudinem in captivitate Babylonicam abducti, & in universum orbem dispersi sunt, sicut adhuc hodiè sunt populus prædæ expositus, Esa. 42. v. 22. Jer. 42. v. 18.

Ex hâc consideratione quilibet Christianus tetrum hoc vitium fugiat oportet. Non benè erit, beneficia non compensanti, hîc & in æternum, Sir. 12. v. 3.

III. *Reconvalescentium typum.* Relabuntur enim in peccata priora, & oblivioni beneficia sibi à Deo exhibita tradunt, instar Pharaonis, qui quamdiu affligebatur, multa pollicebatur: simulac vero respirabat, cor suum denuo indurabat, Exod. 8. v. 15.

O quot eorum inveniuntur hodiè, qui morbis correpti, votum voto addunt, se vitam emendaturos, & Deo verâ pietate ministraturos esse: Quando verò reconvalescunt, rursus ad ingenium redeunt, nî pejore evadant, juxtâ adagium:

*Da der Krancke genas / je ärger er was /  
aut ut versuti veteres sonant:*

Dæmon languebat, Monachus tunc esse volebat,

Sed dum convaluit, mansit, ut antè fuit.

Hâc in re Diabolus multos obsequentes filios habet, qui vestigiis ejus insistant. Ast suo tempore vindicta certò sequetur, non enim irridetur Deus, Gal. 6. v. 7. sed quando videt, omnes castigationes in filiis suis irritas esse, defetiscitur misereri, Jer. 15. v. 7. nec ut antè arguit in virgâ virorum, & in plagis filiorum hominum, 2. Sam. 7. v. 14. sed tradit ingratos ejusmodi hospites tortori Matth. 5. v. 25. qui illos excarnificabit & cruciabit, ut manducant linguas suas præ dolore, Apoc. 16. v. 11. nec habeant requiem, die ac nocte, Apoc. 14. v. 11.

Cave proindè, mi Christiane! ejusmodi ingratitudinem, & vide, ut si reconvalescis, & vitam tuam emendes, nec verbis modò

modò sed & operibus Deo gratias reddas. In hoc enim clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum adferatis, ait Servator noster, Joh. 15. v. 8.

*De Secundo.*

**S**equitur *Medela*, quæ fuit  
 I. *Ex promptâ Christi voluntate.* Ubi enim illi obviant, & clamant: Jesu, Magister bone, miserere nostri: non avertit oculos, nec nares obstruit, sed rectâ ad illos progreditur, & ad preces eorum benevolâ oratione eos dignatur.

De Rege Demetrio legimus, si subditi ejus literas supplices ei obtulerint, quod eas quidem alterâ manu acceperit, alterâ verò in aquas projecerit, ne legere easdem, aut respondere ad illas teneretur.

Id Rex Regum Servator noster non facit, sed quando rogamus, attendit, & facit voluntatem timentium se, Psal. 145. v. 19.

Titus Vespasianus commendatur, quod nemini quicquam denegaverit, quin potius homines, ut à se peterent, admonuit. Amicis ejus id improbantibus, respondit: *Non oportet quenquam à facie Principis tristem discedere.*

Hoc laudem meretur in Ethnico. At de Servatore nostro multò verius ad se verare possumus, quod nemini quicquam denegat, sed quoque ad orationem instiget, inquit: *Petite, & dabitur vobis*, Matth. 7. v. 7.

Excitemur hinc, ut cum fiducia accedamus ad thronum hunc gratiæ, quem Deus proposuit nobis *ἀσπίον* per fidem in sanguine ipsius, Rom. 3. v. 25. ut misericordiam inveniamus, & gratiam consequamur,

in auxilium opportunum, Hebr. 4. v. ult.

II. *Ex magnâ Christi facultate*, quod verbo morbos desperatos profligare possit. Nam inter eundem purificantur.

Hæc mirabilis erat curatio.

Lepra est morbus incurabilis, quem solus Deus curare potest, 2. Reg. 5. v. 7.

Dum igitur Servator hos decem leprosos ad Sacerdotes remittit, & inter eundem mundationem illis omnibus procurat, hoc ipso probavit, quod mutatio sit dexterae ejus, Psal. 77. v. 11. Dictum ejus est factum, Psal. 33. v. 9.

Terreni Imperatores & Reges quidem magnos titulos sibi arrogant, dum potentissimos & invictissimos se nominari jubent: verum tituli sunt inanes, carentque effectu, ut experientia satis probat. Profecto filii viri sunt mendacium, si ponderentur in statera, ipsi simul ipsa vanitate sunt leviores, Psal. 62. v. 10.

At Christus non nomen modò, sed & omen habet, Jer. 10. v. 6. hinc dicitur Dominus, magnus consilio, & magnus operibus, Jer. 32. v. 19.

Quando igitur in calamitatibus & miseriis degimus, & nusquam auxilium appareat, & res desperata videatur, nescientibus quid agendum sit, ut Regi Josaphat contigit. 2. Chron. 20. v. 27. non melius consulere nobis possumus, quàm si ad Dominum hunc confugiamus. Si angustia nostræ magnæ, Jesus major adhuc est: Si hostes potentes, Jesus potentior est. Deus noster, Deus salvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis, Psal. 68. v. 21. Novit, novit ille pios tentationibus eripere, 2. Petr. 2. v. 9.

III. *Ex gratitudines utilitate.* Hic audimus, Samaritanum Christo acceptissimum esse: quia enim beneficium ipsi præstitum, grato animo agnoscit, hoc ipso quoque spiritualem sanitatem impetrat, & per fidem conservatur ad salutem æternam, 1. Petr. I. v. 5.

Pari ratione nos quoque in posterum à Deo omnia bona expectare possumus, si pro acceptis & præsentibus bonis, ei gratias agamus. Sacrificans laudem, honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutem Dei, Psal. 50. v. ult.

Cum Salomonis templum recenter structum consecraretur, & Symphoniaci laudarent Dominum, eumque celebrarent, & extollerent vocem tubis, cymbalis & instrumentis Musicis, & laudarent Dominum, quod benignus sit Dominus, ejusque misericordia daret in æternum: implebatur domus Dei nube, ut non potuerint Sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei, 2. Chron. 5. v. 13. 14.

Sicut igitur Dominus in templo Hierosolymitano præsentia gratia suæ habitavit: sic hodie tenus adhuc habitat, inter laudes Israel, Psal. 22. v. 4. nempe eo in loco, ubi Christiani, ut spirituales Israëlita, se invicem docent & commonent, in Psalmis & hymnis, & cantibus spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus suis Domino, Col. 3. v. 16.

Ubi verò Deus gratia sua habitat, ibi plenitudo benedictionis, plenitudo vitæ, plenitudo gaudii, plenitudo boni, plenitudo beatitatis, semita quippe ejus stillant pinguedinem, Psal. 65. v. 12. & ubi est, ibi Sol & clypeus est, dat gratiam & gloriam,

nec privat bonis eos, qui ambulant in innocentia, Psal. 84. v. 12.

Offeramus proinde semper ei hostiam laudis, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus, Hebr. 13. v. 14. hoc placebit ei, super juvenum, cornua producentem, & ungulas, Psal. 69. v. 33. Die novissimo publicè id commendabit, cuique, qui gratum se exhibuit, ut Samaritano dicturus: Surge, nempe à mortuis, & vade, nempe in vitam æternam: fides tua te salvum fecit.

### De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regalis, ut sunt

1. *Proximo parce.* De Leprosi memorat Evangelista, quod à longè steterint, id enim congruum erat legi divinæ, mandanti, ut leprâ infecti à reliquorum hominum commercio exclusi, nudis capitibus, scissis vestimentis & coopertis labiis incederent, quò à quolibet facilius agnosci & eò melius caveri possent, Levit. 13. v. 45. 46.

Huic legi adversari nolunt hi leprosi, idèò videntes, Christum via publicâ incedere, secedunt ad latus, ne ipsi molesti sint.

Observent hoc illi, qui morbis contagiosis infecti, nihilominus cum aliis epulantur, aut eorum commercio utuntur, quod tempore pestilentia subindè fieri amat: ubi apud multos superstitio invaluit, ut credant, si pestilentia alios inficere possint, se ab illâ immunes fore. Hi sicariis à Luthero assimilantur. Sicut enim Sicarii modò hunc modò illum cultro vulnerant, & tamen à culpa alienos se pro-

profitentur: sic etiam hi contaminant, hic puerum, ibi sceminam, & tamen factum à se nolunt, sed in sinu rident, quasi rem bene gesserint: hoc verò modo melius esset cum bestiis, quàm cum ejusmodi homicidis habitare, ait Lutherus. Quinrum enim præceptum mandat: non occides. Quocunque igitur modo proximum occideris, homicida eris, homicida verò non habet vitam æternam, in semetipso manentem, 1. Joh. 3. v. 15.

Veri Christiani aureolum illud semper recordentur: Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, eadem & vos facite illis, Matth. 7. v. 12. Hoc caritas Christiana requirit, quæ non cogitat malum: sed patiens & benigna est, 1. Cor. 13. v. 4 seqq.

Mysticè hi leprosi imago sunt omnium nostrum. Propter condatum enim peccatum originale, non habemus locum in Regno Dei, Joh. 3. v. 5. & à longè stare coacti fuisse: siquidem peccata nos & Deum nostrum divisissent, Esa. 59. v. 2. nisi Christus nos cum Patre suo expiasset. Ne itaque superbiamus operibus nostris, ut Pharisæus ille, Luc. 18. v. 11. sed cum filio prodigo, Pater peccavi! ingeminemus, Luc. 15. v. 21. Hoc modò nos Dominus gratia sua ut leprosos hosce dignabitur. Respiciet enim ad pauperculum, & contritum Spiritu, & trementem sermones suos, Esa. 66. v. 2.

II. *Ad Christum confuge.* Id leprosi fecerunt. Quia enim de Christo audierant, quod passim varias infirmitates curaverit, dum Christus ipsis in via obviat, occasione inferviunt, & alta voce clamant: Jesu bone Magister, miserere nostri!

Discamus hoc ab ipsis. Adam absconderat se sub arbore, cum Deus diceret:

Adam ubi es? Gen. 3. v. 11. Cain vagus & profugus erat, Gen. 4. v. 12. Israelitæ timore percellerantur, cum inter tonitrua & fulgura, & clangorem buccinæ Deus legem promulgaret, in monte Sinai, Exod. 19. v. 16. Saul & Ahasia deterius agebant, dum ille Pythonissam in Endor, 1. Sam. 28. v. 8. hic verò Beelzebub, Deum Accaron, 2. Reg. 1. v. 2. & ita uterque Diabolum consulebat, & multiplicabat molestos labores suos, Psal. 16. v. 5.

Id neutiquam faciamus, sed ad eum confugiamus, qui percussit nos, ut nos sanet, Psal. 6. v. 2. Verè enim in Domino Deo nostro salus Israel, Jer. 3. v. 23. hic sanator noster est, Exod. 15. v. ult. nec ablegat nos cum lepra nostra ad Jordanem, ut Naaman, 2. Reg. 5. v. 10. sed sanguis ejus emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 8.

Licet igitur hodierno die non amplius circumeat in terra, ut tunc fecit: tamen manet nobiscum omnibus diebus, usq; ad consumationem seculi, Matt. 28. v. ult. sed alia ratione, nempe per modum dexteræ Dei, ut Luth. loquitur, regnans ut Rex potentissimus à mari usq; ad mare, Ps. 72. v. 8. in medio inimicorum suorum, Ps. 110. 2. Propterea non longè est ab unoquoque nostrum, Act. 17. 28. & suspiria nostra audit, ut clamorem leproforum audivit, gemitus enim nostri nò sunt absconditi ab ipso, Ps. 38. v. 10.

De Abgaro Rege Edessæ refert Eusebius, quod in periculoso morbo constitutus, literas exaraverit ad Christum, eumq; rogaverit, ut ad se veniret, & sibi opem ferret. Cui Christus responderit, se hâc vice præsentem accedere non posse: post adscensum vero suum se quendam ex discipulis missurum, qui ipsi & suis auxilium offerret.

Thad-



Thaddæum itaque Apostolum post ascensionem Christi Edessam venisse, & Abgarum cum multis aliis sanitati restituisse, & ad Christum convertisse.

Quod si igitur corporaliter Christum accedere non possumus, ut leprosi hi, per literas, h. e. fidelem orationem ei miseriam nostram explicemus. *Oratio quippe fidelis nuncius est, mandatum peragens, & penetrans, quod caro non potest pervenire*, ait Augustinus. Sic amicè Dominus respondet nobis, dicens: Clamavit ad me, & ego exaudiam eum &c. Psal. 91. v. 14. Sir. 35. v. 21.

III. *Gratitudinem exhibe.* Hic Samaritanus nobis exemplo suo prævit: videns enim quia mundatus est, regressus est, cum magnâ voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens ei.

Sanitas, Dilecti! nobile bonum est, melior omni auro, Sir. 30. v. 15. quando igitur Deus nobis hanc gratiam exhibet, ut sanitati nos restituat, æquum est, ut ipsi mente gratias agamus, juxta illud, 1. Thess. 5. v. 18.

Equidem Servator non semper obviat ægris, ut his decem leprosis, quos in momento à leprâ liberavit: sed quando animadvertit è re nostra esse, morbis castigari nos, clamorem nostrum minus attendit, largitur tamen patientiam, ut perferte idem possimus, 1. Cor. 10. v. 13. propterea hoc in casu quoque ei gratias agamus, dicentes cum Davide: Bonum mihi, quia humiliasti me, Psal. 119. v. 71.

O quousquisque ægrotat, & jacet in lecto, ut Paralyticus iste, Matth. 9. v. 2. si sanus foret, nunquam precibus adeò invi-

gilaret, sed exhiberet membra sua ad iniquitatem, Rom. 6. v. 19.

Quousquisque cæcus est, si videre posset, oculos haberet plenos adulterii, 2. Petr. 2. v. 14. & videret extraneas, Prov. 23. v. 32.

Quousquisque mutus est, si fari posset, execrationibus & maledictis, turpiloquio & scurrilitate nimium delinqueret, Eph. 5. v. 4.

Id non fugit divinum Numen: ideò non semper corporis sanitatem largitur nobis, quando invocamus eum, sed diutius nos in morbis relinquit, ut hoc ipso ad preces, pietatem, patientiam aliasque virtutes inflammemur. Nam qui passus est in carne, desit à peccatis, 1. Petr. 4. v. 2.

Quandocunque itaque omnia licita media adhibuimus, quæ corporaliter & spiritualiter adhiberi possunt, & tamen ad preces nostras nullum auxilium apparet, caveamus, ne fortè murmuremus, sed in voluntate divinâ ac quiescentes Jobum imitemur, qui in mediis tribulationibus Deum celebravit, dicens: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum, Job. 1. v. 21. Deum siquidem diligentibus omnia in bonum cooperantur, Rom. 8. v. 28.

Quod si verò auxilium tibi suppetit, ut è morbis emergas, multò plus causæ habes Deo gratias agendi, ideò exemplum cape à Samaritano, qui gratiarum actionem nondiu differt, sed confestim revertitur, ubi animadvertit, se sanitati restitutum. Sic primum tuum iter sit ad ædem Domini, ut Deum celebres, & narres omnibus timentibus Deum, quanta fecerit animæ tuæ, Psal. 66. v. 16.

Sama-

Samaritanus contribules suos non exspectabat, nec per ingratitude ipsorum à gratiarum actione abstrahatur. Sic tu solus revertere, dans gloriam Deo. Quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7. v. 13.

Samaritanus magnâ voce magnificans Deum cecidit in faciem ad pedes Jesu, gratias agens ei. Sic & tu confitere Deo in directione cordis, Psal. 119. v. 7. dicens: Paratum cor meum, Deus, paratum cor

meum, cantabo & psallam in gloria meâ, Ps. 108. v. 1. seqq.

Hoc si fecerimus, Christus die novissimo fidem quoque nostram prædicabit, quæ medium illud est, per quod liberamur dum in hoc mundo vivimus. Et tunc transferet nos è valle tribulationis in palatium cæleste. Oculi enim ejus respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. hanc qui habet, vincit mundum, 1. Joh. 5. 4. habetq; vitam æternam, quam Deus nobis omnibus largiatur.

Amen.

## DOMINICA XV. POST TRINIT.

*Evangelium Matth. 6. 20. 24. -- 35.*

### EXORDIUM.

**S**apientia & divitiis inclutus Rex Salomo, non citius domum sibi construxit, quàm structuram Templi Hierosolymitani absolvisset, ut constat ex 1. Reg. 6. & 7.

Hoc mysticè interpretabimur.

Sicut enim homo ex duabus partibus essentialibus constat, corpus è terra formatur, & in terram revertitur, Genes. 3. v. 19. Anima verò immortalis est, & corpore moriente, illa non moritur, sed redit ad Deum qui dedit illam, Eccles. 12. v. 7. Ita etiam duplicem curam adhibeam, quarum altera animam, altera corpus concernat. Anima eget spiritali nutritione, verbo nempe Dei & Sacramentis, hinc Hiskias Rex: Domine, in illis vivent, & in omnibus illis est vita Spiritus mei, Esa. 38. v. 16. & David: Secundum multitudinem cogitationum mearum in corde meo, consolatio-

tionem tuam lætificaverunt animam meam, Psal. 94. v. 19. Corpus verò indiget aquâ & pane, & vestimento quo tegit ea, quorum nos pudet, Sir. 29. v. 28.

Hunc in finem Deus quoque duas domus ordinavit, quarum beneficio utramq; partem, & animam & corpus procurare possimus. Templum est animæ domus, ubi spiritalis victus distribuitur, nempe vera Manna & aqua vitæ, qui manducaverit ex hoc, nunquam esuriet, & qui biberit ex hac, non sitiet in æternum, Joh. 6. v. 51. c. 4. v. 14. Corpus autem quod attinet, hinc quilibet ædes suas habet, in quibus negotia sua obire potest, quæ ad vitæ sustentationem requiruntur: hoc Deo non adversum est, modò quilibet intra cancellos vocationis se contineat, neque supergrediatur, 1. Thess. 4. v. 6. ut verum evadat illud Prophetæ: sicut cavea plena avibus:

*Quadrat in. huc Exordium, qd supra p. 313. repit Domin. 1. post Trin. sic*